



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Bucephali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

lii, & quia patrem diligimus, omni studio, meditatione, conatuque monitis ejus ita obtemperare contendimus, ut ne cogitare quidem ullum velimus scelus. Boni enim qui sunt, nisi sponte boni sint, nullum ex bonitate sua premium assequuntur. Nam Abraham, Enoch, Noe, & Patrum plerique alii, sine legis servitute Deo placuerunt. Lex vero tunc data est, cum servili contumacia non modo Mosi non audire, sed ipsius etiam Dei, qui videntes eos atque sentientes in libertatem ex Aegyptiorum oppressione asseruerat, mandata detrahere pertinacissime coperunt, & quæ plurima in hanc sententiam disputat Irenæus. Sed jam ad diverforum deorum, quos sub Bovilla imagine superstitione antiqua coluit, convertemur.

## BUCEPHALI. CAP. XXIX.

Prætereundum autem non est, etiam si *κτ̄ πέρσερον*, Bovilli capitis notam Equi inustam, illis ex signo dedisse nomen apud Thessalos, quippe ut Bucephali appellarentur: ita enim Gens eos vocabat Equos ea nota insignitos, cujusmodi fuit nominatissimus ille Bucephalus, qui Alexandro Macedoni tam charus fuit. Falluntur autem, qui putant Equum eum à Bovillo capite, vel à cornibus, quibus animal id præditum fuisse dicitur, ita nuncupatum. Nam quod Equi nonnulli apud Thessalos Bucephali vocentur, ostendit Aristophanes *ἀναεργέω*. Quantæ vero commendationis essent Equi Thessalici, vel Delphico probatur oraculo:

*Thessalicus præstat sonipes, mulierque Latæna.*

& quæ profequitur Strabo.

## JUPITER. CAP. XXX.

*Apis Aegyptius.*

Neque vero Græci tantum mutatum in Bovem Jovem confinxerunt, verum etiam Aegyptii Jovem illum suum, qui & Osiris, & Pater, & Justus, & Dux, & Rex, & Consultor in sacris eorum literis appellatur, per Bovem indicarunt, eumque Apim cognominaverunt. Quem quidem tanto profecuti sunt cultu, ut ingentia super eo volumina scripta fuerint à plerisque, eoq; vanitatis progressum, ut eum Bove alioqui sterili genitum prædicarent. Bovem namque fulgure afflatam fieri gravidam, eoque conceptu Apim nasci persuasam habuere: de quo quidem cum nulla sit magis decantata fabula, consulto ego illum præteribo, si modo signo tantum, quibus insignitus esset, indicavero. Toto is corpore niger erat, in fronte candorem quadræ præ se ferebat, in tergo effigiem aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos: qui vero multis locis sculptus visitur, Lunæ etiam speciem in latere gestat, ut in palatio quodam Romæ apud D. Marcelli ædem. Atque hic ille est Apis, quem Hebræi Mose in monte moram trahente, sibi Deum conflare, eam secuti consuetudinem, quam in Aegypto esse conspexerant.

## DIANA. CAP. XXXI.

Invenies etiam Dianam, quam Tauri, Scytica gens, colunt, Taurionem appellari: Tauris enim eam opitulari putant. Eadem etiam *ταυροπόλ* dicitur, ut apud Apollodorum, & à cornuum figura *ταυροπό*, *ταυρο* vero apud Taurios. Cur vero *ταυροπόλ* vocaretur, varia est opinio: dicunt enim alii, *ὅτι ὡς ταύρις ὀβριεῖσι πάντα*; alii quia Taurum à Neptuno in Hippolytum immisum, æstro affixo, per universam terram exagitaverit. Alii dicunt, Iphigeniam cum è Scythia in Atriam aufugisset, Deæque simulacrum dicasset, *ταυροπόλ* Dianam appellatam, propterea quod è Tauris populis eò allata esset. Alii nomen ex historia ea desumptum putant, quod Nicander ait Taurum à Diana suppositum loco Iphigeniæ, cum eam in Aulide Græci essent immolaturi: quamvis Phanodemus Ursam eam fuisse dicat, plerique vero Cervam, tanta fuit in ea superstitione varietas & inconstantia.

## PALLAS. CAP. XXXII.

Quin & Pallas *ταυροπέλα* dicta, & apud Andrios *ταυροπόλ*. Nam cum Anthropius Taurum Agamemnoni & Menelao dedisset, jusit ut ubi Taurus è navi prosiliisset, ibi Minervæ simulacrum erigerent: ita enim numen conciliari posse prosperamque illis navigationem futuram. Accidit autem